

APPENDIX ALTERA.
SELECTÆ ROMANORUM PONTIFICUM
BULLÆ, ET CONSTITUTIONES,

præsertim novissimæ Benedicte. XIV. tractatu, & loco hujus operis, ad
quos spectent, adnotatis.

CIRCA RELIGIONEM,

Ad Tom. 1. Part. 2. Cap. 1. Vide infr. Constitutiones spectantes ad Tom. 3. Part. 3.

CIRCA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ INSTITUTIONEM,

Ad d. Part. 2. Cap. 2.

DE DOCTRINA CHRISTIANA POPULIS TRADENDA.

VENERABILIBUS FRATRIBUS,
Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis,
& Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam
benedictionem.

Est minime Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura credita est, vosque præsertim Ven. Fratres, ad Apostolatus officium erectos, atque in Prælationis saltigio à Deo constitutos, in id potissimum sollicitudinem intendere, ut Christianus Populus Cælestis Doctrinæ pabulo enutritus, & rudimentis fidei saluberrime instructus in semitam mandatorum Domini, facem vobis præferentibus, feciliter dirigatur: temperare tamen non possamus, quin vos ipsos nostræ auctoritatis, ac Paternæ dilectionis stimulis excitemus ad tam pium, tamque salutare opus Doctrinæ Christianæ impensiore cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quæ animarum salutem adversantur.

§. 1. Quia vero scientibus legem loquimur, & vigiles Ecclesiarum hortamur Antillites, quibus nec pietatis, nec alia sacrarum literarum desunt præsidia, supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis, non satis esse ad Cælestem Beatitudinem allequendam confusum, & involute credere à Deo revelata, & ab Ecclesia Catholica proposita Mysteria; sed hæc Cælestem Doctrinam divinitus traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi, ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, & eorum aliqua, necessitate mediis, aliqua vero necessitate præcepti fidelibus ad credendum proponantur. Præterea licet per fidem justificari dicamur, cum ea sit humanæ salutis initium, & fundamentum; ad futuram tamen, quam

inquirimus, Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam fidem non sufficere; sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, & Ecclesiæ, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quæ studiose declinare debemus.

§. 2. Quæ quidem omnia cum primis Catholice fidei rudimentis, sive Doctrina, ut ajunt, Christiana, contineantur; Episcopalis muneris exigite ratio, ut illa in singulis Diocæses, & ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiæ convicio, illam negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, & diligentiam conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se Doctrinæ Christianæ semper intersit, pueros interroget, & Mysteria fidei, quam profiteretur, aperiat. Nimum quippè novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis facinoræ, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus jactari Præsulem suo satis muneris facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, si Episcopus, alieno etiam à visitatione Diocæsis tempore, quandoque adsit ubi Doctrina traditur Christiano homine digna, pueros, puellæque de rebus antea auditis sciscitetur, ac Mysteria nostræ religionis evolvat, & annunciet; Pastoris operam in maximam crediti sibi Gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

§. 3. Hanc administrandæ Ecclesiæ quasi legem sibi dixerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Præsules Beatorum Civium albo adscripti; Carolus nempe Borromæus, Franciscus Salesius, Turibius,

Alexander Sauli, quorum aliqui (ut literis consignata est) cum gravius dissentirent, atque impediti curis, adesse coram non possent, opere, ac diligentia suae Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus designabant, qui, susceptis Pastoralis ministerii partibus, adolecentulos ad omnia religionis officia fidei elementis informarent.

§. 4. Optimum ergo, & ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antilitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, praesertim vero dum obit Dioecesim, in singulis Paroeciis impleverit. Sed, ut quisque facile conciet, ad hoc vires ejus non suppetunt. Ideoque, ut propositum assequatur, necesse est, diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis Vicarios constituit, studium, ac sedulitas desideretur.

§. 5. Duo potissimum onera à Tridentina Synodo Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant, alterum, ut pueros, & rudiores quotque divinae legis, fideique rudimentis informant, quae statim diebus eam Parochi concionem habebunt, quae non perfunctibilis humanae sapientiae verbis obtrepat auribus, sed captivi auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur: si mysterium aliquod annuntiabunt, in primis vero, quod eo tempore Ecclesiae aegrotat, ea differentes, quae ad virtutem incitamento sunt, & ad vitia fugienda, graviora praesertim, & quae sedius grassantur in populo: si diebus ipsi (hoc enim pariter debent. suo muneris) pueros tanquam infantes modo genitos nutrant doctrinae lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando: Si denum cum Apostolo attendat lectioni, exhortationi, & doctrinae; ut perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum operis respondere posse, & populum acceptabilem scitatore bonorum operum facile exiturum.

§. 6. Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius Parochi laborem; cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo, ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis, & opportunis destituetur auxiliis: Semper enim invenias, qui tonsura initiari, qui per minorum, qui per Sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad Ecclesiasticae Beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (& verbis facta respondeant) asserit Episcopus, nunquam se facturum, ut Tonsura inauguret grandiores aetate, aut minores, praesertim vero majores Ordines iis conferat, qui in tradenda Christiana Doctrina operam suam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum numerum idem Episcopus in singulas suae Civitatis, & Dioecesis Pa-

rochias apte distribuat, & eorum aliquos determinatae Ecclesiae adscribat, Denunciet praeterea, ac fidem praestet in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum Jure plurimum apud se ponderis, & momenti habiturum studium, & diligentiam in hoc opus à Clericis collatam; atque ita re ipsa constabit, non Rectori tantum impositum esse docendum munus, sed plures illi praesto esse, ut omnes officii sui numeros cumulate implere possit.

§. 7. His accedit Sacris Apostolicis Constitutionibus, & septima praesertim felic. recordat. Leonis X. Praedecessoris nostri edita in Concilio Lateranensi saluberrime cautum fuisse, ut tam laudamagistri discipulos suos, quam piae feminae puellas instructas, sana, & incorrupta doctrina (Episcopo id potissimum urgente) tanquam pabulo vitae nutriant, & confirmant. Constat etiam, ipsam Episcopum posse, ac debere Sacris Oratoribus, quom diligentissime commendare, ut pro concione in parentum aures, animosque ingerant, sua interesse Mysteris nostrae religionis susceptam prolem imbuerent: & si ad id minus idonei fuerint, filios in Ecclesia adduci oportere in qua divinae legis praeccepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, & ubi non sit recepta, inducenda, consuetudo invaluit, ut Parocho idem munus persequenti auxilium ferant laici, tum viri, tum mulieres in Christiana institutione veluti adjuvancem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque sodalitia erecta sunt quorum cura in explicanda Christiana religionis disciplina versatur, & quorum institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V. in sua Constitutione, quae incipit: *Ex debito*; sed in omnibus etiam Dioecibus propagari enixe exposcit. Quae quidem omnia in unum collecta, si sedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit mensis, paucos nequaquam esse operarios, nec eos desesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

§. 8. Sed quia compertum est, non solum adolecentulos, illosque, qui confirmata sunt jam aetate in divinarum rerum ignorantia versari, sed etiam viros, ipsosque fenes salutaris doctrinae esse omnino expertes; vel quia nunquam illam perceperunt, vel quia jamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurreret vigilantia, si operis sui Vicarios cogent, quae parata sunt, remedia sedulo adhibere.

§. 9. Ut autem ab iis, qui in prima sunt aetate sermo instituat, & ad Sacram Eucharistiam, & Confirmationem admitti plures postulant. Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatienter studium non praesertunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum Sacrum Eucharistiae Sacramentum ministrat, & sche-

schedulam, ut ajunt Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei, & doctrinae capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent, vel quia parum in hoc Tyrocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quae ad hujusmodi Sacramenta pie, ritèque suscipienda statim temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto prima aetatis fides videri potest consultum.

§. 10. Si vero loquamur de adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Deo; usi satis constat, alios Ecclesiasticae, alios vero saecularis vitae rationem inire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de eis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore magni commodi, multaque utilitatis plenam, si qui se sistant examini, eos Praeful potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi Latini sermonis nitore, & elegantia excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, & quae ad Ordines pertinent apprime calentes, de doctrina tamen Christiana percunctantur parum, aut nihil appetere respondere.

§. 11. Si autem ad eos, qui in saeculo degunt, mentis aciem convertimus, palam sit illos, ut plurimum sacri conjugii fœdera inire. Verum cum Matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet prius interrogando deprehenderit marem, seu feminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tante, ac tam luctuose ignorantiae locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, & huic si desint, negligentiae repetat poenas.

§. 12. Omnes denique omnium aetatum, atque ordinum homines solent identidem sordes animae Penitentiae Sacramento detergere. Curabit itaque Episcopus, ut Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud, immortuque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis, ignorans res necessarias necessitate medii, impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius exclusa hujus ignorantiae caligine, ad agnitionem fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet Confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessariae necessitate praeccepti suo vitio nescit, & eo quandoque casu Penitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiae reum agnoscat, & accuset, ac intimo dolens, tum à Deo veniam precetur, tum Confessario sermō promittat, operam se impense deturum, quia divinae gratiae praesidio dicat etiam necessaria necessitate praeccepti.

§. 13. Hanc profecto Christiani populi instituendi rationem si Pastores fidei prosequerint, si eorum consilia, labores, & studia ad propositam methodum duxerint referenda; sperare fas est, fide, & opera Gregem ita in dies profecturum, ut coadificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque

alia ad Dei gloriam, & ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima passim objiciantur impedimenta.

§. 14. Sitae quandoque sunt in agro parvae, humilisque Ecclesiae, aliae Parochiali proxima, aliae vero longo intervallo disjunctae, ad quas diebus festis patresfamilias una cum liberis accedunt Sacerdotem Sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suae Parochiae nunquam fere interior, nec ullum de Mysteris fidei, de praecceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurrere, suamque objicere auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas Ecclesias Parochiales proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto Ecclesia Parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Ecclesias à Parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, Parochianos ob locorum distantiam, longum iter, atque aërum, hyemali praesertim tempore, cum pluviae inundant, Parochialem adire; ibique divinis officis interesse, relicta Ecclesia proximior, decernat Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod Sacerdos ibi operans Christianae doctrinae summam populo tradat, divinamque legem annunciet. Monendus tamen est Parochus, ne alienae operae nimium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri Sacramentum Eucharistiae, & Confirmationis, alia vero Matrimonii sibi administrari exposcant.

§. 15. Praeterea sua etiam Urbes habent impedimenta. Saepè enim contingit in aliis Ecclesiis, ac praesertim Regularium; solemnibus ritu, magnaque populi frequentia; festam aliquam diem celebrari: ideoque si in Ecclesia Parochiali summum mane, aut statim à prandio Cathedismum habeatur; aut nemo, aut pauci admodum sunt, qui eidem Cathedismo interfint, qui quae praescriptas horas non caufentur. Sin vero capterent horae Civitatis commodo magis appositae, usu compertum est, populum ad Ecclesiam confluere, in qua festus dies agitur; & celebritate pompae illectum, doctrinam Christianam non sine gravi animae detrimento deserere. In hoc articulo, quia certa, & communis regula praescribi non potest, id totum relictum esse volumus prudentiae vigilis Ecclesiae Antilitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis ita studeat solemnibus diei celebritatem cum doctrina Christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si Regulares, & exempti contradixerint, & sanctum hoc doctrinae opus, licet ab Episcopis prius admoneati, suis functionibus perturbare praesumpserint; nostram locorum Ordinarius auctoritatem, qua potitur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificia vigilantia decernunt remedia, ne Parochiales Ecclesiae debitis fraudentur obsequiis.

§. 16. Plurimum quoque ad Christiani populi institutionem conferre poterit, si visitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Diocesim intrantes, omnia sedulo inquireant, ut certior factus Episcopus, pro meritis cujusque Pastoris, aut premia decernat, aut poenas.

§. 17. Clementis Papa VIII. aliorumque Prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus in doctrina Christiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato à Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussim, ut unius deinceps, idemque modus in docendo, & discendo Christianam doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius; nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Cathedricorum varietatem irrepere possent errores, conducibilius, atque opportunius. Sicubi vero contingat ob peculiarias regionum necessitates, alium quempiam adhiberi forte libellum; sedulo invigilandum erit, nequid ille contineat, nequid in eo unquam inducatur à Catholica veritate absolum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clarè, & dilucidè sint explicata, additis si quaerantur, necessariis, ac sublati, quæ redundant. Brevis enim, & univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressus puerorum.

§. 18. Complectatur liber hujusmodi etiam fidei, spei, & charitatis actus, quos rectè, scienterque compositos esse minimè dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis offerri gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura virtutis explicetur. Et quia Christianam re-

ligionem profitenti maximè necessaria est consuetudo, & exercitatio sæpius eliciendi dictos actus; idcirco ne illorum usus circumscriptur angustis finibus, & exiguo numero à quibusdam singulis annis præfinito; Episcopus suæ non minus, quam aliæ salutis studiosus, providè statuat, ut in Parochiis, tum Urbis, tum Diocesis, Rectores animarum post Missam festo die celebratam, statim ante Aram provoluti clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire satagant populo verba ab ipsius prolata devotè reddidituro. Hoc enim pacto fideles sensim illos memoriam mandabunt, & assuescent nedum festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitacione versari.

§. 19. Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas Vobis Ven. Fratres, per hæc Apostolica scripta notas esse volumus, quique vestrum facile intelliget, consonas esse monitis nostris Pastoralibus prælo jam demandatis, cum Sponsam nostram Bononiensem Ecclesiam paternam charitate comminus amplecteremur; illasque præterea ex Pontificiis Constitutionibus hausas esse, & spectabilium Antistitem testimonio, & exemplo comprobatas. Quia verò maximam inde utilitatem proficisci experimento cognovimus; quo majori postumus studio vos hortamur, & admonemus, ac per viscera misericordiae Dei nostri enixe obtestamur, ut pro injuncto Vobis Pastoralis Ministerii debito, præmissorum executioni strenuo, constantique animo incumbatis: sedulo recogitantes, quidquid laboris, studii, ac vigilantiae in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium bonorum Datorem uberi mercede retributurum; & Apostolicam benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus nostri anno secundo.

CIRCA IMMUNITATEM LOCALEM,

Ad d. Part. 2. Cap. 3.

CONSTITUTIO BENEDICTI PAPÆ XIII,

Qua Littera Apostolica Gregorii XIV. excipientes quadam delicta circa Ecclesiasticam Immunitatem Locorum Sacrorum, nonnulla insuper opportunè præscribendo, confirmantur, & ampliuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS
Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

EX quo, divina disponente clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen

assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem factam testam, inviolatam ubique custodiendi inter graviores suscepi Apostolici Ministerii curas merito recenserit diu, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisi-

simus, quibus ipsa immunitas in pristinum venerationis, & reverentiae locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum præfata illa majorum nostrorum disciplina, & vetus Canoniarum Sanctionum norma præscripta. Dum hæc sollicito animo revolveremus in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore nostro edita, quæ incipit: *Cum alias*, qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastoralis zelo suo hunc ipsam in scopum intendens, facultates, & indulgèntia à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V. & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendis, ac abducentibus ab Ecclesiis, aliisque locis immunitibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatiusque fuit, simul autem delictorum frequentia, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora, à prævis hominibus patrerentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunita sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica immunitate nequam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset necne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; eorumque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à locis immunitibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuè observari mandavit, quemadmodum in prædicta Constitutione Anno Incarnationis Dominicae 1591. nono Kalend. Junii promulgata, ulterius continetur.

Quoniam vero post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum, cum interpretantium Sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Secularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim pia mem. Clemens IX. Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter nostri de præfatis contentionebus dilecticia casuum exceptorum explanatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt: facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; se ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod nos omnino expedire arbitantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhaerentes, motu proprio, & ex certa

scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, hæc nostra perpetuo valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis, amplissimè confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere, iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes, ob auctam, atque in dies invalentem pervertorum hominum malitiam sæpe, ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, qua non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium auctaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas intratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur; non levis autem inter Doctores emerit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, & grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controverliam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admittam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiastica Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cæmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cæmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cæmeterium, aut ipsi membrum mutilant: necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cæmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cæmeterium, aut ipsi membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugiunt in viam inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violentè extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi reos non illius tantum Ecclesiae, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassini non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in

in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Afsassiniuitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejsdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo premeditato, ac deliberato; Falsificantes litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius Publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinatis, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuat, ut pœna ordinariæ locus sit: Constantes, adulterantes, vel toncentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium, vel ipsas monetas confatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis confici, atque participes cenferi possint: Illos demum, qui sub nomine Curie sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas easque re ipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem adium, vel etiam extranei; quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Cæterum cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hæctenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earundem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui ante dicti Gregorii Prædecessoris mentem, quoad normam ab ipso præscriptam, recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum interpretari voluerunt; statimus, præcipimus, & mandamus, nullam in hoc de cetero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit, neque praxis à quibuslibet Curis, aut Tribunalibus invecita, imo nec quancumque declarationum, quæ ab hujus Arce Urbis nostræ Tribunalibus, sive etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverint; quatenus præfenti nostræ Constitutioni advenferint; sed in occurrentibus casibus normam hic à nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica à Curia Seculari fuerit requirit, ut laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reiterate subministrata, vel acquisita sint indi-

cia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur; tunc Curia Ecclesiastica ad ejsdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliive locis immunibus, ope, & medio suorum executorum, implorato etiam quatenus opus sit, brachii secularis auxilio, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres aptorari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resulent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum Ministris, & Officialibus Curie Secularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma Juris valida restituendi extractum Ecclesie sub pœna excommunicationis lata sententiæ Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservare, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minimè purgaverit, & verè delinquentis repertus fuerit, Curie Seculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit agere, atque procedere licet.

Præterea considerantes sæpe dictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii Episcopo inferiores, etiam si locorum Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conservatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati cognoscere, & declarare valeant, an delicta pro quibus inquit ad loca immunita confugerunt, & in eis se receperunt, sint necne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam ejsmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inhaerentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus tenore præsentium quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Secularibus, necnon quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, & conditionis existant, etiam si Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate præfulgeant, districtè interdicens, ac inhibemus, ne hujusmodi casibus, vel conficiendo processus, vel inquisitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admisa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præfenti nostra constitutione, ullo pacto sese ingerant aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare præsumserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda, irrita, & inania, nullisque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in Censuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversus eos, qui jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflicitas, incurere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda

cognitio, atque judicium de criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, & à Nobis superius explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præfenti nostra Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfatur, adjecimus, & exceptimus, ad Episcopos tantum privative, quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat; & donec ipi in occurrentibus casibus declaraverint, delictum esse de exceptis, & cætera omnia à nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos Ecclesie, vel alterius loci sacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

Universos denum, & singulos Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, quos hujus nostræ Constitutionis Executores deputamus, in visceribus Domini nostri Jesu Christi hortamur, & paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus, qualitate temeris, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia serventur, omnemque fraudem, & dolum procul arceri fatagant, quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, in omnibus obstant, qui ejsdem præfenti Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porò casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quam acriter semper, & quam eximia, ac proflus singulari animi fortitudine majores nostri pro Ecclesiastica libertate, ac immunitate pugnaverint, nihil de illa immuni permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pariter zelo, atque constantia tueri curent ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantia causa potius, quam misericordia, & justitiæ titulo Ecclesiastica privilegia afferere velle videantur.

Decernentes, easdem præfentes litteras, & in eis contenta quacumque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suisque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, & obtinerè, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliive quoslibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, ac functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, & dehniri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his, à quoquam quavis auctoritate sciatur, vel ignoranter contigerit atten-

Non obstantibus quibuscumque Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis, necnon quorumcumque Prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis, etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Dectotis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & immutatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio faciendæ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna; præfentibus pro plenè, sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præfentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, illas, seu earum exempla ad Valvas Ecclesie Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curieque Generalis in Monte Citorio, ac in Arce Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos ille concernunt, perinde arcere, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent, utque ipsarum præfentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem proflus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præfentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel offensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii, Pontificatus nostri anno secundo.

P. M. Card. Prodatur. F. Card. Oliverius. Visa de

de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus. Loco
* Plumbi. L. Martinetus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die vero 15. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. Benedicti Divina Provi-

ALIA CONSTITUTIO BENEDICTI PAPÆ XIV.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam
rei memoriam.

Officii Nostri ratio non eam modo sollicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, & impleri curemus; sed id etiam à Nobis exposcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quæ earum debita executioni multis modis officere dignoscitur, opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare, ac removere studeamus.

§. 1. Sane fel. record. Prædecessor Noster Gregorius Papæ XIV. providam Juris Canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet, sub Tit. De homicidio voluntario, vel casuali cap. 1. innovata fuit vetus præceptum Legis à Deo in Exodo lata: Si quis per insubriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo eveller eum, ut moriatur; per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quæ incipit: Cum aliis, iis, qui proditoriè proximum suum occidissent, ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minimè suffragari decrevit. Tum verò pie memorie Prædecessor quoque Noster, ac Dignitatis Nostræ amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione, quæ incipit: Ex quo Divina, non eos tantum, qui proditoriè, ut præfertur, homicidium patrasent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludit, & repulit. Demum san. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quæ incipit: In supremo Justitia folio, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisse casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis prædictæ beneficio minimè gaudere voluit, atque decrevit.

dentia Papæ XIII. Anno secundo prædictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis foliis, & consuetis per me Franciscus Baldum Apostol. Curf.

Antonius Pellicia Mag. Curf.

§. 2. Insuper iidem proximè memorati Prædecessores Benedictus, & Clemens, ad ea, quæ in Jure Canonico, & in Gregoriana Constitutione recensentur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ, si qui commississent, eos à prædicto beneficio asyli, & confugii apud Ecclesias, ac Loca Sacra, & Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque à Doctoribus, ac dicti Juris, & Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones & controversias, declarando, ac definiendo susceperunt; ut ex eorundem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una è Nostri Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam præsentem moderabamur, pro illius Populi curæ Nostræ concediti instructione, edidimus, quæque impressa extat Tomo II. Editionis Italice num. XXI. in Latina vero Editione num. LXI.

§. 3. Ad hoc autem, ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem Delinquentis è loco immunitatis procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quum præfatus Benedictus Prædecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personæ recitate, ea supererent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut verò extractum hujusmodi Ministris, & Officialibus Curie secularis tradere, & consignare valerent, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractam ipsam confecto, resutare debere, quæ, juxta regulas Juris, vocantur *ultra torturam*, alter deinde Prædecessor Clem. XII. ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indicibus, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commissio constaret, posset idem extractum hujusmodi Curie seculari tradere & consignare. Cæterum iidem Prædecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per præmissa imminui, nec inde ullam Justitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones delinquentium hujusmodi è loco immunitatis nunquam sine auctoritate Episcopali, & interventu Personæ Ecclesiasticæ ab ipso Episcopo deputandæ, fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, prædictis etiam

etiam concurrentibus indicibus, Curie secularis Officialibus tradi, & consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum penis servanda, ut Ecclesiæ, seu loco immunitatis restituerentur, quatenus in progressu causæ iidem extracti indicia hujusmodi purgarent, atque diluerent.

§. 4. Cum autem ea, quæ per Clementem Prædecessorem prædictum, Juris communis, & Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum functionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis domini Apostolicæ Sedis minimè extenderentur, visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principes id postularent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum quæ Anno MDCCXXI. cum Charissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliæ Rege illustri, tum quæ Anno sequenti MDCCXXII. cum alio pariter Charissimo in Christo Filio nostro Carolo Emanuele Illustri quoque Sardinie Rege sancita fuerunt, præmissas aliasque in Clementis Litteris præfatis contentas dispositiones, in eorundem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id expectantium dominia, peculiaribus respectivè editis Litteris, quarum exemplum videre est in Tom. I. Bullarii Nostri Constitut. LXXXVIII. quæ incipit: *Alias felicitis*, extendimus & ampliavimus.

§. 5. Verum, quum tot ista per Prædecessores Nostros prædictos, ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi præfatas Constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu penitus antevertere valerint; id adhuc oneris nobis reliquum esse judicavimus, ut constituta in hoc reum genere agendi regulas, ad quas sæpissime tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Judicum acta expendere, & exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus & dubiis involutas remanere paterentur. Itaque, omnibus maturè pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque gravium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, & in criminalibus judiciis versatorum consiliis, motu proprio, ac de Apostolica, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, nostram & Prædecessorum nostrorum mentem in hunc, qui sequitur, modum declarare, & quædam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

§. 6. Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Prædecessoris Constitutione, quæ incipit: *Cum aliis*, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusi censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur, deque his etiam tantummodo loquutus

fuerit alter Prædecessor Benedictus in præfata Constitutione, quæ incipit: *Ex quo Divina*; placuit laudato Prædecessori Clementi XII. hujusmodi Constitutiones per suam, quæ incipit: *In supremo Justitia folio*, ad Ecclesiasticos etiam ejusdemque gradus, & ordinis, homicidium animo præmeditato, ac deliberato patrasent, extendere & ampliare, itaut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica Immunitate jvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii causa ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, circa peccatum sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione.

§. 7. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementis Prædecessoris ampliatione, & extensione Regularum quoque Ordinum Professores, & Alumni comprehendantur; Nos ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus & declaramus, omnes & singulos ejusdemque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & Instituti Regulares, tam in ipsis expressè Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, ejusdemque gradus & conditionis exiterint, etiam ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu aliis, quælibet expressè & individua mentio de ipsis eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub præfatis, aut præmissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret, si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato, ac deliberato patraserint, à beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ, juxta formam eorundem Constitutionum Benedicti, & Clementis, exclusos fore, & censeri.

§. 8. Et quoniam prædictus Clemens Prædecessor speciali Decreto edito die 5. Octobris anni MDCCXXXVI. expressè declaravit, mulieres etiam, quæ aliquid delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta & ab Immunitatis localis beneficio exclusæ, juxta præmissa, haberi debeant, pari jure ac in re cum viris censeri, & sub dispositione ipsius Litterarum incipient. *In supremo Justitia folio*, æque in omnibus comprehendi debere; Nos hujus nostræ Constitutionis tenore declarationem prædictam approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjiciamus; Decernentes similiter, ac declarantes, sub ejusdem Clementis, nostræque hujus Constitutionis dispositione, etiam Milites in omnibus & per omnia comprehensos esse, nec ullam militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

§. 9. Præterea quum in præfata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis prædictæ beneficio excludantur omnes & singuli tam Laici, quam Ecclesiastici iniqui, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati, ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura apertis ad

occidendam, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem; saepe disputari contingit, an is, qui non casu, vel ex propria defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit, baculo aut saxo; quæ scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendam apta reputari solent; ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super huiusmodi dubio definiendo decernimus, quemcumque homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum Sæcularem, aut cuiusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici consuetudinis beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ quidem definitio nostra conformis est Divinæ Legi, quæ habetur in Libro Numerorum cap. 35. ubi designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem, proximi nolentes effudissent, ita subiungitur: *Si quis ferro percussit, & mortuus fuerit, percussus est, reus erit homicidii, & ipse morietur. Si lapidem jecerit, & ictus occuberit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur. Proximum occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut, cum esset inimicus, manu percussit, & ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit: quod si fortuito, & absque odio, & inimicitia, quidquam horum fecerit, & hoc, audiente populo, fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & proximum sanguinis questio ventilata, liberabitur innocens de uloris manu, & reductur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos magnus, qui Oleo Sancto unctus est, morietur.*

§. 10. Accidit autem in homicidiis id, quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim morietur, sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de faucibus sollicitè explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, à capto asylo nequam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnovit, arrepta fuga, Magistratum diligentiam prævertens, tempellivè sibi consultit, meritaque pœnas evadit. Quod quum ab iis, qui iustitia administranda præpositi sunt, Nobis expositum fuerit persequi evenire, & quidem non sine magna publicæ tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex huiusmodi

evansionis fiducia concipiunt; iidemque postulari, huiusmodi malum opportunis providentiæ nostræ remediis submoveri;

§. 11. Ideo Nos, de prædictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per præsentem decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum, aut Religiosum locum confugiens, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, grave vite periculum adesse retulerint, percussor ipse è loco immuni, servatis servandis, extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restitatur, ubi is, qui vulneratus fuerit ultra tempus à legibus constitutum superstitis vivat, & quidem sub eisdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti, & Clementis Litteris illi subiunguntur, qui delinquentem ex iudicis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam in suis defensionibus huiusmodi indicia diluerint.

§. 12. Quod vero in citata Gregorii Prædecessoris Constitutione circa facultatem demandandi extractionem delinquentium è loco immuni in casibus exceptis statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopos superiores Prælatos pertineat, non vero ad alios Episcopos inferiores, etiam si alii Ordinarii sint, aut nullius Diocesis; ita ut, occurrente casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc negotium huiusmodi ad viciniorum Episcopum devolvatur; id quod ab alio quoque Prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem præsentium Litterarum tenore approbamus, & confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelæ super hoc delatæ fuerunt, quod quædam Curia Ecclesiastica pro parte Officialium Curia Sæcularis requisita, extractionem delinquentium in casibus exceptis huiusmodi diutius quam par est, protrahere consueverunt; Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Præfulibus, enixè, studiosèque suademus, & respectivè mandamus, ut omnem querelaram occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, & quoties de delinquentibus in casibus exceptis huiusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere non recusent: sique ea, quæ juxta præmissa requiruntur, re vera suppetere agnoscant, eorundem delinquentium extractionem è loco immuni quamprimum decernant, ut vel in Episcopali carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel etiam ad Curia laicalis carceres ejusdem Ecclesiæ nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut iustitia cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, & personarum juribus asserendis, & susti-

nen-

endis, quum ea, contra sacrarum legum præscriptum infringi, ac violari contingat. Quum tamen huiusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, quum præfata delicta excepta non in Civitatibus, sed per Dioceses, in locis à Curia Ecclesiasticæ residentia remotis perpetrantur; ideo Nos per easdem præsentem prædictis Episcopis, aliisque superioribus Prælati facultatem concedimus & impertimur, ut, quoties in huiusmodi casibus pro parte Curia Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistes deputandis committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridicè colligant; ut his nimirum inspectis, iidem Antistes, prout juris erit, ad delinquentium huiusmodi extractionem quantumvis decernendam procedere valeant.

§. 13. Et quidem hæc omnia, quæ per præsentem hucusque declaravimus, definitivimus, atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, & in Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, & Locis, Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis, etiam speciale, & individuum mentionem requirentibus, eorumque Curia Ecclesiasticis, & Sæcularibus, etiam Baronibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones, sive peculiarior consensionibus, ut supra, sive per viam Concordati extensa, & ampliata fuerint (quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus) locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque huiusmodi, tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, & Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

§. 14. Illud etiam, quod in præallegatis nostrorum Prædecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum pœnarum interminatione, districtè vetitum fuit, ne scilicet Curia Sæculares, eorumque Magistratus, Judices, & Officiales quicumque, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliumque delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiastica auctoritate intervenerit, capere, extrahere,

aut incarcerare; neve ad declarandum, crimina à prædictis admitti esse deceptis in eorundem Prædecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut præfatur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant seu præsumant; Nos quoque eisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, & innovamus, atque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, in violabiliter etiam perpetuo observari præcipimus; contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ sunt, omnino incurrere statuimus, atque sanimus: Decernentes, in numero transgressorum huiusmodi eos etiam esse, & censerit, qui, in spreto Ecclesiastica auctoritatis, & Canoniarum Sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & Loca immunita obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro confugio se tumentur, alimenta deferantur, sive aliter, eisdem in Curia Sæcularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugiens huiusmodi deceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes, & singulas pœnas, atque censuras adversus Ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Constitutionibus Apostolicis latas, atque statutatas, incurrere decernimus, ac declaramus. Sane huiusmodi artes, atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper, atque proscriptas fuisse comperimus; idque factis demonstrant ea, quæ in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus decemotertio, ac decimoquarto Ecclesiæ sæculis, statuta leguntur; (a) ibi enim, expostis Ecclesiarum circumfessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesias confugerant, ad deditorem adigebantur, quicumque similia attentare præsumpsissent, anathematis mucrone feruntur. Et Nos igitur, qui Ecclesiæ spiritum circa præmissa toties aperte declaratum, atque à Prædecessoribus nostris constantè servatum, exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos, qui sub Ecclesiasticæ Immunitatis tutela degentibus, huiusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, præter alias pœnas, atque censuras adversus ejusdem Immunitatis violatores, ut præfatur, latas, atque factas, sine alia declaratione incurrandas, omni beneficio ac pri-

B 2 vi-

(a) Concilium Provinciale Lambethense hab. Anno 1261. tom. 11. part. 1. Labbeæ Collectionis Conciliorum col. 810. Concil. Exoniense Anni 1287. tom. 11. part. 2. dictæ Collectionis col. 1281. tit. 15. Concil. Provinciale Nugaroliense Anni 1303. dicto tom. 1. part. 2. ejusdem Collectionis col. 1479. can. 6. Concil. Palentinum Anni 1322. dicto tom. 11. part. 2. præfate Collectionis col. 1697. cap. 7. Concilium Vallisolanum Anni 1322. tom. 3. Collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre, pag. 564. tit. 18. num. 51. Concilia Marcianense, & Sylvanæ Anni 1326. præfate tom. 11. part. 2. d. Collectionis Labbeæ col. 1751. tit. 11. & col. 1770. cap. 5. Concilium Varense Anni 1368. eodem tom. 11. part. 2. dictæ Collect. col. 2012. tit. 93.

vilegio Ecclesiasticis confugii, & asyli tam apud Ecclesias, & loca immunita ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, & Loca Sacra, & Religiosa indignos, atque privatos fore, & habendos esse, non secus ac alii omnes, qui consuegentibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violententer extrahunt, & abducunt; quos scilicet laudatus Prædecessor Benedictus XIII. in sua allegata Constitutione, non illius tantum Ecclesie, quam violavit, sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesie immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere declaravit; & quorum Nos numero supradictos etiam jure, & merito accensendos esse decernimus.

§. 15. Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis domini nostri, ac nonnullarum finitimarum ditionum Curias, reciproca quadam consuetudine inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex ditionibus hujusmodi commiserint, & intra fines alterius se receperint, instante Curia illius ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiuntur, eidemque Curie tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in tertis, ad quas confugerunt, sub Ecclesie alicujus, vel alterius loci immunitatis tutela se receperint; idcirco Nos, Ecclesiasticæ Immunitatis rationes cum recta Justitiæ administratione, & Reipublicæ tranquillitate opportunè copulare volentes, decernimus, & mandamus, ut, si hujusmodi confugiens delictum aliquod ex his, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesie dominio patravertint; indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Diocesano, seu respectivè viciniore illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cepit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfata locus esse debeat, extractionem delinquentis è loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet. Eademque ratione, si in præfatis aliorum principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione Concordati cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulati faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus alicuius delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliique servatis servandis, à confugii loco extrahi, ac, si ita res

feret, externæ postulanti Curie valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respectivè leges, atque tenores inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquentes Ecclesie nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privativè quoad omnes alios, etiam Ecclesiasticos Judices, ex indicis, ut præfertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est questio, inter excepta connumerari debeat, necne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causæ, indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

§. 16. Ipsas demum præfatas Litteras, & in eis contenta quæcumque, perpetuæ firmitatis vim, & robur habere, suosque integros, atque plenarios effectus, in locis, atque ditionibus prædictis, ac respectivè ubilibet locorum, & gentium, sortiri, & obtinere, atque ab omnibus, & lingulis, ad quos spectat, & quoquomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque, & non aliter, in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Cardinalium hujusmodi Congregationes, & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon Sæculares Curias, & Magistratos, etiam supremos, aliove quoslibet, quæcumque præminencia, & potestate fungentes, & functuros, & etiam specialiter nota, & mentione dignos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere decernimus, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 17. Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiasticarum, aut Sæcularium Curiarum legibus, edictis, statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indulgiis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis; & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis, etiam gravibus, & urgentissimis causis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium, & Militarium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, seu con-

stitutionaliter, aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & causas præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, atque etiam insertis, ac respectivè servatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, prædictis motus scientia, & potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque: seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, cæterisque de causis, excommunicari, suspendi, aut interdicti non possint, nisi per Litteras ejusdem Sedis, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 18. Ut autem præfatas Litteras, & in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perdantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere dere valeat, volumus easdem ad valvas Ecclesie S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancelliariæ Apostolicæ, Curieque Generalis Innocentianæ, aliisque locis solitis, & consuetis ejusdem, Urbis, per Cursores nostros, ut moris est, publicari, earumque exempla asigi,

sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, ac si univocis illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; earum quoque Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, & ostenderentur.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum declarationum, definitionum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCCLXIX. Idibus Martii, Pontificatus nostri anno decimo. D. Card. Passioneus. J. Datarius. Visa de Curia. J. C. Boschi. Loco ✕ Plumbi. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 6. Aprilis ejusdem anni.

CIRCA SIMONIAM, BENEFICIA, ET PENSIONES.

Ad dict. Cap. 3.

Prohibentur cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS
Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

UNIVERSALIS Ecclesie cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ è liberali Ecclesie manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fideliu(m) scandalo; inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut & vitæ suæ necessaria provideant, & pauperum inopia, & Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentie privatos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorundem Beneficiorum redditus, quos, donec viverent percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorundem Beneficiorum, quos alteri quoad vixerint, vendunt,

recepta pecunia ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, verifimiliter consequi possunt. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigii filifamilias, de quo in Evangelio scriptum est, cum substantiam suam à Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriosè vivendo, & deinde facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium; pia Ecclesie subsidia, & Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc, & gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi in pravos usus infusi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis tanquam probis dispensatoribus in solamen pauperum, & Ecclesiarum restitutionem impendi deberent. Præterea sæpe hujusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, & ut se sustentare possint, vel in-